



ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΟΝ.

**P**hilosophiam primam reliquas inter discipli-  
 nas caput extollere, velut inter viburna cupres-  
 si, & in illis splendore coruscare, sicuti Luna,  
 stellas inter minores, nemini, qui oculorum a-  
 crimonia, viscera ejus paulo penitius lustravit, obscurum  
 esse potest; Etenim quæ sub ipsius ambitu, & consideratio-  
 ne comprehenduntur non solum scitu dignissima & jucun-  
 disima sunt; verum etiam in aliis scientiis & habitibus Pra-  
 cticis summam spirant utilitatem. Nam Theologus vix ac-  
 curate & distincte, tanquam in Habitu Theologiæ Practicæ  
 progredi, nec adversarios promptius refutare valet, nisi sa-  
 tellitio dogmatum Metaphysicorum sit stipatus. Neque  
 sacri Themidos Filii operam hujus nobilissimæ disciplinæ  
 plane supervacaneam æstimare debent, cum vix ac ne vix  
 quidem in actibus & processibus criminalibus recte dijudi-  
 candis ac decidendis legibus interpretandis rite & scite pro-  
 cedere queant, nisi doctrinam de causis recte intelligant,  
 quæ tamen ex Metaphysica, tanquam ex fonte haurienda  
 venit. Medicum denique quod concernit, pariter & ipsi  
 in arte medica non vulgarem utilitatem præbet Metaphy-  
 sica, siquidem causas morborum, diversorum nec recte alios  
 docere, neque medicamentis congruis tam felici successu  
 pellere potest, nisi doctrinæ nobilissimæ philosophiæ primæ  
 suam locaverit operam. Quod si vero ulla doctrina in Philo-  
 sophia hac prælaudata deprehenditur, ex qua spes cōmodi

A 2

afful-